

# MICHAELIS'

STIFELII ARITHMETICAE,

TICAE, LIBER PRIMVS.

De communi Algorithmo numerorum Integrorum & Minutiarum. Caput I.



**N**IGVRIS decem utimur, tanquam necessarijs ad numerorum repræsentationem, uidelicet 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 0. Et nouem quidem priores, significatiuæ uocantur, Quælibet enim earum significat numerum sui ordinis, sicut eas uides esse positas: ut 7. significat numerum septenarium, sic enim uides eam figuram septimo loco esse positam &c. Decima autem figura nihil uocatur, eo quòd solitarie posita, uel ultimo loco figurarum alicuius numeri, nihil significet prorsus.

Illa autem figura dicitur ultima, quæ fuerit extrema à parte sinistra, in ordine figurarum repræsentantium aliquem numerum unum. Et illa erit prima, quæ à parte dextra fuerit extrema, ut hic 3 2 4. Prima figura est 4. & ultima est 3. At si singulæ figuræ singulos numeros repræsentent, ut hic, 3. 2. 4. erit 3 prima, & 4 reputabitur esse ultima.

¶ De repræsentatione & enunciatione numerorum, hæc breuissîma satisfaciunt.

Figura quælibet posita in primo loco alicuius numeri, suam simplicem significationem retinebit. In secundo uero loco posita, significationem suam decuplabit. Et in tertio loco centuplabit, ut hic, 3 2 4. Prima, id est 4, significat quatuor. Secunda, id est 2, significat uiginti, id est decies 2. Tertia uero, id est 3, significat trecenta, id est centies 3. Et sic de alijs. Ex quibus iam uide  
a quid